

μενας vocauit Democritus,²⁵ quod sanguinem capiant, et vehendum suscipiant, eoque occupentur et sunt ὑδάτων δοχεῖα aliquibus δεξάμεναι siue piscinae et colymbetrae, de quo tamen dubitant siue Nili et Euripi latinorum vel etiam canales et tubi. Suidas autem δεξαμενὴν θείαν mensam sacram interpretatur, quae res sacras capit et excipit: Εἰς τὴν θείαν δεξαμενὴν ἐκάθισεν.²⁶ 5
 Secundum haec igitur neque hoc negamus simplicius esse magisque obuium, si verba spectentur, vt interpretemur ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, „quem oportebat coelum [B 1v:] occupare“, quod vt ἀμφίβολον tollatur fiet tale: „Oportebat, vt Christus coelum caperet et occuparet.“ Altera autem interpretatio, cum et ipsa insit in verbis et in sententia multo magis, quomodo si ambiguitatem omnem similiter excludere volumus, alia quam talis fieri potest: „Quem oportet coelo capi seu recipi?“

Quae et sententiam euangelistae et Petri multo melius interpretatur, ideoque haec verba παθητικῶς περιέφρασεν ex graecis theologis Gregorius, cui propter excellentiam inter doctores ecclesiae et rerum diuinarum scientiam eximiam cognomentum fecit „theologi“ graeca ecclesia, cuius et ita te aliquando studiosum fuisse meminimus, vt non dubitares hunc explicandum suscipere aequalibus tuis, neque sane errasti iudicio, quando hoc fecisti et simile nunc etiam tibi optaremus. Huic igitur magistro tuo parcere debuisti, qui nostri temporis de sacramento controuersias non nouit et ne somnare quidem has 20
 potuit vir ὀρθοδοξότατος. Transsubstantiationem autem et vbiquitatem tuam, si viueret, execraretur et huius et Basilij aduersus te, discipulum talem, experireris vehementiam, quorum ζῆλος non fuit ἄζηλος, sed κατὰ γνώσιν pro gloria Dei et religionis veritate. Quod si tam esses cognoscendi vetera quam scribendi tua studiosus (quae et tibi et rei ecclesiasticae fructuosior esset 25
 opera) meminisses, quid scribat in oratione secunda de Filio Dei, vt tamen in memoriam redeas, verba eius ibi sunt haec: δεῖ γὰρ αὐτὸν (Χριστὸν) βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ’ οὐρανοῦ δεχθῆναι, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως καὶ τὴν ἐκ δεξιῶν καθέδραν ἔχειν, ἕως τῆς τῶν ἐχθρῶν ἐπικρατήσεως.²⁷ Non dubitauit interpres etiam pontificius haec reddere, vt verba habent, oportuisse 30
 Christum a coelo capi, nihil metuens transsubstantiationi suorum, cum ne ibi capiatur aliquanto plus intersit rerum pontificiarum quam tuarum, quod pontificatus missa idola-[B 2r:]trica hoc fundamento nitatur, quae sola res et

²⁵ Vgl. Demokrit, Fragment B. 135: δεξαμεναί: ὑδάτων δοχεῖα, καὶ ἐν τῷ σώματι φλέβες, in: Hermann Diels, Die Fragmente der Vorsokratiker. Band 2, ed. Walther Kranz, Zürich 1972⁶, 169,14.

²⁶ Ada Adler (Hg.), Suidae Lexicon. Pars II. Δ–Θ, Lexicographi Graeci 1, Sammlung wissenschaftlicher Commentare, Stuttgart 1967, 21: Δεξαμενὴ· εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Σοφίας ἦκων ἐς αὐτὴν ποῦ τὴν θείαν δεξαμενὴν ἐξαπιναιῶς ἐκάθισεν. ἀλλὰ κἀνθῆνδε ἀφέλκειν αὐτὴν ἴσχυσε. τουτέστιν ἡ τράπεζα ἢ τὰ θεία δεξομένη.

²⁷ Vgl. Gregor von Nazianz, Oratio XXX. Theologica quarta. De Filio 4, in: PG 36, 108 (FC 22, 226,22–228,2). Die Stellenangabe „in oratione secunda de Filio Dei“ richtet sich nach der zeitgenössischen Ausgabe ΓΡΕΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΝΑΖΙΑΝΖΗΝΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ ΑΠΑΝΤΑ, τὰ μέχρι νῦν μὲν εὐρισκόμενα [...], Basel 1550 (VD 16 G 3019).